jo, vindemiantur in Octobri. Id autem non contingeret, nisi palmites illo ordine inciderentur. Enimvero quamvis vinitorum diligentiam ad triplicem vitis germinationem multum conferre haud negemus, dum partium luxuriantium resecatione prohibet, ne succus nutritius ultra in pampinos & capreolos otiosè diffundatur, nunquam tamen hac sua putatione novum palmitem, nedum botros, tam exiguo temporis spatio educere valerent, ni continue sufficiens alimenti copia à Sole & reliqua subtili materia per radicis meatus sursum pelleretur, quod cum ad vitis præcisum verticem pertingit, ab aere incumbente, ne diffluat, cohibetur sensimque condensatur, unde postmodum haud secus ac reliqui palmites nutritur, augetur, &, quia constans ac frequens est succi affluxus, statim nova semina fructusque emittit. Certè in nostris Regionibus & Septentrionalibus aliis ex hac vitium putatione talis vix speranda erit vindemia, argumento, quod calor potissima causa sit tam subitæ fœcunditatis. Pari modo se res habet cum fructibus reliquis; sed ad singulas eorundem species excurrere non fert tempus & instituti ratio.

§. VI. Videri poterant hactenus à nobis exposita aberrare à scopo, cùm non tam statum Pentapolis Dissertationis hujus subjectum, quam Jerichuntis, aut aliarum Palæstinæ partium spectent; Verum hoc methodus requirebat, à notioribus transire ad minus nota, â statu Palæstinæ mortalium oculis etiamnum exposito ad statum priorem Sodomæ vix inter cineres cognoscendum, & luce illius hujus illuminare tenebras. Applicemus dicta statim ad Pentapolin. Constat è superioribus, hanc regionem ante excidium a-